

usque ad annum domini millesimum trecentessimum sexagesimum quibusdam obligationibus interfui et consensi, ut ex registro capituli, ad quod registrum si opus fuerit recursum haberi peto, ex data literarum colligitur evidenter et hoc fuit ante tempus et usque ad tempus contracti matrimonii per bone memorie Jacobum Huot fratrem meum, quo tempore obligacio erat facta per me primo et generalis bonorum patrimonialium, de qua obligatione in alia informacione <sup>1)</sup> est expressum, et ante predictum tempus et usque ad illud tempus interfui et consensi in subscriptis. Inprimis quidem obligatum fuit castrum Poppenborch <sup>2)</sup> pro mille ducentis marcis per dominum Hinricum episcopum tunc noviter creatum antea intrusum et Hundesrugge et Dasle <sup>3)</sup> pro mille marcis minus centum marcis et Luttere <sup>4)</sup> pro quadringentis marcis et quatuor mansi pertinentes ad mensem episcopalem dimissi seu concessi ad capellam sancti Vincencii ecclesie sancte crucis et venditi ad hoc ab episcopo et Detmarus de Hardenberge ac sui heredes infeudati cum decima in Lindawe <sup>5)</sup> multis aliis bonis, que ipsi antea non consueverunt habere in feudum, quamvis ante ipsam decimam quidam alius laycus habuerit ab ecclesia in feudum.

Item ante tempus predictum videlicet contracti matrimonii et obligationis predictorum institutum beneficium in Peynis cum multis bonis sibi eciam extra capitulum generale appropriatis, de quibus bonis ad quos antea pertinuerint non apparet ex tenore literarum, et eciam decima quedam, quam comes de Schauwenborch in pheudum habuerat, conventui in Wulvinghusen <sup>6)</sup>

1) f. Urf. II.

2) Poppenburg an der Leine.

3) Hunnesrück und Dassel. Vgl. Lüntzel, Gesch. der Diöcese und Stadt Hildesheim II, 321.

4) Königslutter.

5) Lindau.

6) Kloster Wülffinghausen.